

Anonymous¹

Manuscript: Prague, Chapter Library F46, f. 80r

Stanislai martyris.

[Thema] *Testimonium habuit placuisse Deo* [Heb. 11,5].²

Hec verba sunt apostoli ad commendacionem Enoch, et bene conveniunt beato Stanislao, cuius hodie festum colimus.

Nota quod beatus Stanislaus habuit VI testimonia sanctitatis eius.

<1> **Primum** testimonium habuit **a Deo**, et hoc **in duobus**.

<1.1> **Primo** in hoc cum esset episcopus Cracovie et reprehenderet ducem Boleslaviensem de iniquitatibus suis. Quodam tempore dum missam celebraret in ecclesia sancti Michaelis in Cracovia³ fecit eum trahi ab altari in ecclesia. Nuncii vero irruentes in eum et cadentes in terram non potuerunt ei nocere. Tunc ipse crudelis dux iniectis manibus in eum, extraxit eum de ecclesia, et amputato capite eius concidit in frusta. Et ecce Deus perhibens testimonium sanctitati eius, destinavit quattuor aquilas que custodirent corpus eius, quod fuit proiectum canibus et bestiis et permansit intactum. Ecce pulchrum testimonium.

<1.2> **Secundo** in hoc habuit testimonium a Deo, cum a fidelibus singule particule fuissent collecte et posite ad caput eius, coadunatum est corpus sanctum sicut prius fuit, nec vulnera apparebant tincta sanguine.

<2> **Secundo** habuit testimonium **a celo**, et hoc **in duobus**.

<2.1> **Primo** in hoc cum corpus eius sanctum proiectum fuisset canibus et per frusta concisum [b], vero ubicumque iacebat aliqua particula corporis, lux celestis illuminabat. Ecce testimonium a celo.

<2.2> **Secundo** in hoc cum esset in sepulchro positum corpus eius sacrum, per X annos lux celestis a sepulchro non recessit. In hoc ergo quod lux celestis apparuit super beatum Stanislaum, testimonium perhibuit ei celum de celesti vita et lucida, quam duxit in hoc mundo.

<3> **Tercio** perhibuit sibi testimonium **terra** de sua sanctitate quia militem Petrum mortuum restituit vite, qui tribus annis iacuerat in terra, ad perhibendum testimonium de hereditate qua vendiderat beato Stanislao.

<4> **Quarto** perhibuit testimonium **ignis**. Quondam virum nomine Andream cum ignis in domo occupasset, ad invocacionem beati Stanislai omni lesione liberatus est.

¹ Sermon no. XXIV in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

² *Ante translacionem enim testimonium habuit placuisse Deo.*

³ Hrachovia ms.